

justitiæ commutativæ, quantum est ex vi promissionis et pacti. Nec obstat quod pactum facit id quod redditur alteri esse suum, quia facit suum jure promittentis, et spontanei pacti, non onere justitiæ, et jure commutationis, seu actionis: potest enim fieri suum, etiam ex gratia, dono alterius.

XXIV. Ad confirmationem respondetur, quod illud obsequium quod reddimus Deo, accipimus ab ipso; et sic licet habeat commensurationem ex parte rei cum re, quæ sibi datur in præmium, non tamen ex parte juris, et obligationis onerosæ, ita quod in Deo consurgat debitum ex vi talis dati, et talis obsequii ipso jure commutationis; et sic non facit justum commutativum respectu personarum, licet servetur modus commutationis ex parte æqualitatis in materia et rebus ipsis in quibus versatur pactum et actio.

ARTICULUS IV.

An sit in Deo justitia distributiva et vindicativa?

Ad idem punctum revocatur ista difficultas atque præcedens, videlicet ut discutiamus, an in ipsa formali et intrinseca ratione et objecto distributivæ justitiæ inveniatur aliquid imperfectionis, et sic non possit Deo tribui; an vero imperfectio quam apud nos habeat, non sit illi essentialis, et per se, sed possit ab illa purificari, et ita Deo attribui. Unde tota hujus difficultatis lux atque discussio pendet ex explicatione rationis formalis justitiæ distributivæ, ejusque differentie a commutativa.

QUID PRÆSUPPONENDUM.

I. Igitur circa explicandam formalem et essentialem rationem hu-

jus virtutis, et jus seu debitum quod observat, et in quo distinguitur a commutativa, observandum est quod principalis differentia inter commutativam et distributivam justitiam, est, tum in ipsa materia circa quam utraque versatur, tum in ratione debiti, seu juris et obligationis, quæ in utraque resultat; et inde consequitur differentia inter personas quæ utramque justitiam ministrant, et inter quas exercetur. Igitur materia circa quam versatur utraque justitia materialiter potest esse eadem, formaliter autem diversa est, ut docet D. Thomas 2-2, q. LXI, a. III. Potest quidem materialiter esse eadem, quia de eisdem rebus potest disponere justitia distributiva, et commutativa, v. g. circa pecunias, circa utensilia, circa honores, et injurias, circa operas et labores: possunt enim hæc distribui a communi ad particulares per modum præmii aut recompensationis, aut pænæ, et possunt etiam per actiones particulares inter se commutari, et jus ac debitum contrahere, sicut a republica datur de communibus bonis militi laboranti pecunia, aut redditus, vel magistratus, et honores, et similiter potest per commutativam justitiam dari alteri pecunia vel redditus pro aliquo quod mihi rependit, et in pretium laboris juxta pactum quod cum illo facio. Itaque utraque justitia circa externas istas operationes, quæ utuntur rebus materialibus, et ad usum humanum pertinentibus versatur. Formaliter autem consideratur materia utriusque justitiæ diverso modo, quantum ad actiones seu respectus earum, quia una respicit distributiones juxta singulorum merita, et proportionem ad præmia; alia respicit commutationes juxta æqualitatem valoris rerum vel operationum inter se. Differt autem inter istos duos modos faciendi justum

seu æquivalens, quod primus constituit justum in proportionibus, secundus in quantitate seu valore. Et prima adæquatio est respectiva et secundum relationem, secunda absoluta, secundum quantitatem vel qualitatem. Adæquantur enim duæ quantitates si tantam extensionem habeat una, quantam alia, vel tantus numerus sit hic, quantus ibi; duæ autem qualitates adæquantur, si tantum valoris sit in ista quantum in illa, ut tantum ponderis perfectionis aut intensionis, etc. Et ideo vocatur hæc proportio seu adæquatio quantitatis arithmetica, quia fit secundum computationem numeri ad numerum, quantitatis ad quantitatem, ut si hoc valet centum, detur illi centum: arithmeticus enim considerat numerum. Adæquatio autem respectiva fit secundum convenientiam unius ad aliud, vel secundum magis et minus: quod enim convenit uni, non convenit alteri, et quod est magis aptum isti, non est illi, et quod magis excedit, magis ei debetur in eo in quo excedit, non in alio: quæ omnia secundum diversos respectus variantur; et ideo proportio seu adæquatio, quæ hoc modo fit, vocatur geometrica, quia fit secundum proportionem diversorum respectuum, qualem geometra considerat in diversis figuris et quantitibus. Sicut, v. g. si pater familias debet distribuere familiæ suæ vestes, non debet easdem dare toti familiæ, sed minoribus minores, et majoribus majores, unicuique secundum proportionem; sic enim fit æqualitas respectiva et proportionalis, non absoluta. Et rex ille qui dedit talenta servis suis, uni quinque, alii duo, alii unum, unicuique secundum propriam virtutem, distributionem fecit æqualem in proportionem, non æqualem absolute.

II. Secunda differentia, eaque præcipua sumitur ex parte debiti,

seu juris secundum quod utraque justitia suam materiam respicit. Ut enim dicit S. Thomas 2-2, q. LXI, a. 1 ad v: « Justitia distributiva et commutativa non solum distinguuntur secundum unum, et multa, sed secundum debiti rationem: alio enim modo debetur alicui id quod est commune, alio modo id quod est proprium. » Ubi insinuat differentiam debiti seu juris utriusque justitiæ, quod jus, seu debitum distributivæ est ex parte rei communis ut dandæ particularibus, non ut pretium alicujus operis aut valoris, sed ut præmium vel ministerium dandum juxta cujusque dignitatem, meritum, vel proportionem ad tale munus, et respective etiam ad alios, quibus etiam distribuendum est de illis bonis. Jus autem, seu debitum commutativæ est ex parte rei propriæ alterius, vel actionis quam mihi communicat, et juxta valorem et pretium ejus, retribuendum est. Et sic jus commutativæ est jus proprietatis, seu domini, aut alicujus æquivalentis; in vi cujus alter tenetur recompensare. Jus autem distributivæ est jus fundatum in dignitate et proportione ad bona communia, ut sibi juxta talem proportionem distribuantur. Unde debitum seu obligatio quæ consurgit in tali distributore, non oritur ex aliqua actione, vel communicatione particularium erga se, sed vel ex ipso jure boni communis, seu communitatis, et reipublicæ, quæ postulat ut præmia et onera seu ministeria proportionate juxta possibilitatem, et dignitatem cujusque distribuantur, vel si respublica, et communitas non potest inducere jus contra distribuentem, quia est totaliter illi subjecta, sicut universitas creaturarum Deo, oritur talis obligatio ex ipsa intrinseca æquitate et naturali rectitudine Dei quæ se postulat, ut in his justum faciat et secundum

ejusque proportionem, quia hæc est æqualitas et commensuratio, quæ natura ipsa rerum et boni communis postulant, et Deus auctor naturæ et boni communis, hoc ipso quod sic naturam instituit sua sapientia et veritate et providentia, tenetur in vi naturalis rectitudinis sic instituentis illam proportionem quæ æqualitatem et justum constituit, servare, et sic: *Personarum acceptio non est apud Deum*, ut dicitur ad Ephes. vi, quia videlicet Deus causas decernit, non personas, ut glossa ibi dicit. In principe autem creato, qui non est auctor naturæ, neque boni communis sicut Deus, sed dispensator et provisor positus ab ipsa communitate ut custodiat et prospiciat bono communi, talis obligatio juste distribuendi oritur in ipso, tum ex jure quod habet respublica erga ipsum, ut sibi provideat, et distribuatur juxta quod convenit reipublicæ et non secundum alios respectus non conducentes, tum ex Deo ipso qui legem ponit principibus ministris suis ut administrarent justitiam, juxta illud Sapient. i: *Diligite justitiam qui judicatis terram*; et c. vi: *Quia cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ*.

III. Tertia denique differentia est circa personas inter quas versatur utraque justitia. Primo quidem, quia in justitia distributiva consideratur aliqua persona, ut communis, id est, ut distribuens bona communia, seu minister communitatis, aliæ ut particulares quibus distribuendum est. Secundo, quia ipsa æqualitas distributionis per se loquendo, respicit comparationem proportionum quæ inter plures personas concurrunt ad distributionem. Commutativa autem justitia nullum horum per se respicit, sed solum actionem vel rem quam aliquis impendit, ut alter

ei teneatur valorem æqualem rependere. Unde versatur justitia commutativa inter particulares personas, id est, personas ut exercentes actiones particulares dandi, et recipiendi, in tantum quod si respublica vel communitas, aut persona publica cum altero paciscatur aut contrahat, ut sibi aliquid impendat, ex justitia commutativa tenetur rependere, quia in hoc vices personæ privatæ exequitur erga alterum, quia scilicet privatam actionem exercet, in quantum alterius laborem, vel actionem conducit aut accipit, et ratione illius ut actio privata illius est, vult se obligare et onerare. Distributiva autem justitia non attendit æqualitatem ejus, quod quis impendit, cum eo quod recipit, sed proportionem personæ, tum ad id quod sibi datur, tum comparative ad alios, quibus etiam distribuatur, ut sicut illæ suo modo, et pro sua proportione recipiunt; ita et iste pro suo modo, ut comparato ad alios. Unde dicit S. Thomas 2-2, quæst. lxi, art. iv ad ii, quod: « Si alicui qui communitati servisset, retribueretur aliquid pro servitio impenso, non esset hoc distributivæ justitiæ, sed commutativæ: in distributiva enim justitia non attenditur æqualitas ejus quod quis accipit, ad id quod ipse impendit, sed ad id quod alius accipit secundum modum utriusque personæ. » Ecce quomodo requirit D. Thomas quod attendatur proportio personæ accipientis comparativæ ad alias personas, etiam accipientes, ut videlicet quælibet recipiat juxta modum suum et proportionem suam, et ita justitia distributiva attendit plurium proportionem ad accipiendam distributionem, ut unus tantum accipiat, quantum sua proportio exigit, et non æqualiter cum altero, sed proportionate. Sed tamen etiam attendit distributiva justitia proportionem in qua-

libet persona recipiente cum eo quod recipere debet, ut scilicet id recipiat quod sibi proportionatum, et conforme est: hoc enim maxime debet recipere distributor, ut ille cui aliquid datur, sit aptus, et proportionatus tali muneri aut oneri aut præmio. Et in hoc attenditur peccatum acceptionis personarum, quod est directe oppositum justitiæ distributivæ, quando videlicet in aliqua persona respiciuntur conditiones non facientes ad causam propter quam est dignus tali dono, ut docet S. Thomas ibi q. lxxiii, art. i. Ergo cum in hoc consistat peccatum contrarium justitiæ distributivæ, ipsa distributiva justitia maxime respiciet conditiones facientes ad causam, et consequenter proportionantes ad præmium vel donum quod quis recipit, et non solum proportionantes comparative ad proportionem aliarum personarum, quibus etiam distribuendum est. An vero essentialiter petat justitia distributiva respicere plures personas, et earum proportionem comparative ut distributiva sit, statim disquiretur: in hoc enim diversitas opinionum esse potest.

PUNCTUS DIFFICULTATIS.

IV. His suppositis, quæ omnino pertinent ad explicandam rationem formalem justitiæ distributivæ ut distinguitur a commutativa, restat videre, an ex parte suæ rationis formalis, et conditionum quas requirit tam ex parte materiæ, quam debiti et juris, et personarum, importet aliquam imperfectionem, ratione cuius Deo non possit attribui. Et quidem difficultas hæc potest tum a priori considerari ex ipsis conditionibus essentialiter requisitis et concurrentibus ad justitiam distributivam, an imperfectionem importent,

tum a posteriori ex effectibus, quia constat Deum retribuere præmia pro meritis, et supplicia pro peccatis, Rom. ii: *In die justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus, iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem querunt, vitam æternam; iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, ira et indignatio*. Servat ergo Deus distributionem in meritis et præmiis secundum iudicium justitiæ, et tamquam supremus iudex, et Dominus. Oportet ergo videre ex qua justitia ista retributio, et distributio procedat, an ex justitia stricta, et speciali quæ sit propria species justitiæ, qualis est distributiva, an ex aliqua potentiali. Et si ex potentiali, quænam illa sit; si ex speciali et stricta, undenam oriatur obligatio et debitum in Deo, an ex promissione et pacto suo, an ante promissionem; in hac enim justitia ut oriatur debitum in distribuyente, nullo modo videtur conducere pactum vel promissio, cum ex ipsa natura, et ratione boni communis, et rectitudine naturali distribuentis sine alio pacto, oriatur debitum sic distribuendi juxta æqualitatem proportionatam. Ex alia vero parte intercedere promissionem ad reddendam vitam æternam tamquam mercedem operibus bonis est expressus locus Concilii Tridentini sessio. vi, c. xvi. Quæ est ergo hæc justitia, quæ promissionem requirit ad debitum inducendum, cum distributiva justitia ex sua specie id non requirat.

SENTENTIÆ.

V. In hac ergo re, Vasquez, ut videmus articulo præcedenti, tenet in Deo non dari justitiam distributivam formaliter, et stricte dictam, ut

probat tota disputatio LXXXVI, in hac prima parte et aliis locis articuli præcedentis citatis. Sed quia in hac difficultate de justitia distributiva non possumus præscindere a justitia, seu debito reddendi præmia pro meritis, debetque assignari virtus a qua reddatur tale præmium, et quomodo ad id promissio Dei requiratur; ideo sententia Vasquez in hac parte continet duo.

Primum est de ipsa justitia distributiva Dei absolute sumpta prout respicit communiter omnes distributiones bonorum a Deo, tam rebus naturalibus, quam actionibus moralibus, videlicet quod talis justitia distributiva in Deo non est. Et præcipuum seu totale fundamentum est, quia Deus non distribuit bona et perfectiones creaturis, attendendo ad proportionem unius creaturæ cum alia, sed ad id tantum quod unicuique proprium est, ut aquæ frigus, ignicalorem, homini discursum, etc. non attendendo ad comparisonem et proportionem comparativam creaturarum inter se; sicut qui multis creditoribus debita restituit, unicuique secundum quod debet, non exercet justitiam distributivam, sed commutativam cum omnibus.

VI. Secundum, quod sentit Vasquez circa virtutem ex qua Deus reddit præmia meritis, est quod ex gratitudine illa reddit, pœnas autem pro peccatis non reddi ex vindicativa justitia, quæ est pars potentialis justitiæ, de qua agit S. Thomas 2-2, q. CVIII. Ratione vero promissionis adjunctæ reddere Deum præmia ex fidelitate, qua servat promissa, sed tamen condignitati meritorum, et retributioni præmiorum esse omnino accidentariam promissionem adjectam, et titulum fidelitatis. Nam etiamsi Deus promissionem nullam faceret (libere enim illam fecit) adhuc si ex gratia et charitate fierent

opera bona, essent ab intrinseco digna æterna vita, quia promissio extrinseca est, nec addit dignitatem operibus, sed supponit. Meritum autem sequitur necessario ad bonitatem, dignitatemque operis. Unde etiam ante promissionem dari potest in Deo effectus præmiandi illa, et hic affectus non est ex justitia, quia justitia respicit valorem operis, seu laborem, inde id quod reddit pro tali valore est pretium, non præmium, pretium autem non redditur pro actione ut humana est, sed ut utilis, vel commoda mihi, quod etiam reddi potest pro opere et labore bruti, ut pro conductione equi, vel labore bovis arantis. Quare affectus in Deo reddendi præmium pro meritis, non pretium pro valore, non pertinet ad justitiam, sed ad gratitudinem, quæ recompensat obsequia grata; adjuncta autem promissione, reddit illa præmia ex fidelitate. Ita pluribus locis Vasquez loquitur præsertim 1-2, d. CCXIII, CCXIV, CCXV, CCXVIII, et CCXIII, et 1 p. disp. LXXXV et XCI, præsertim capite xv. Quod vero attinet ad pœnas et supplicia, reddi illa non ex justitia vindicativa quæ nec est distributiva, nec commutativa, docet in hac prima parte, disp. LXXXV, cap. IV, num. XXVII, et sequitur Alarcon ubi supra cap. XII. Ex qua autem virtute tales pœnæ reddantur, respondet Alarcon num. XIII, reddi ex justitia legali, si ob commune bonum a Deo infligantur: si autem non attendatur commune bonum, sed hoc singulare objectum, ut iste tantum solvat, quantum peccavit, docet inferri a Deo ex quodam particulari attributo, quod potest vocari justitia vindicativa dummodo proprie vindicativa non sit, quia nullum concernit damnum pro quo vindicet.

Sententiam Vasquez sequitur Lorca II tomo 1-2, disp. XLIV de gratia, quantum ad hoc quod Deus reddat

præmium pro meritis ex gratitudine; sed disconvenit cum ipso, quia existimat fundari meritum de condigno apud Deum in pacto, et promissione Dei, quia licet ex promissione Dei solum videatur oriri obligatio fidelitatis, præsertim si propter opera inæqualia promittatur præmium, tamen si propter æqualia opera præmium promittatur, non consurgit solius fidelitatis debitum, sed etiam gratitudinis, ut retribuatur. Fatetur etiam intervenire aliquem modum justitiæ legalis vel legali similem in redditione præmii pro meritis.

MENS D. THOMÆ.

Nihilominus D. Thomæ sententia, et a nobis tenenda, docet in Deo dari justitiam distributivam, in illis enim locis ubi denegat Deo commutativam, tribuit ei distributivam, ut præcedenti articulo citavimus, et specialiter videri potest allegato loco in II, dist. XXVII, q. I, art. III, et in IV, dist. XLVI, q. I, art. I, ubi hoc expresse affirmat, et in III contra gentiles, cap. XCIII, circa finem. Dicit Vasquez, disp. LXXXVI, cap. II, D. Thomam in summa retractasse hanc sententiam de justitia distributiva, refertque id ex Capreolo in II, dist. XXVII. Et adducit pro se duo loca D. Thomæ alterum ex 2-2, q. CXIV, art. I, ubi negat in nobis simpliciter esse meritum ad Deum, quia non est justitia simpliciter, si autem esset distributiva, hoc non negaret. Alterum ex secunda secundæ q. LXI, art. IV ad 1, ubi docet in divino judicio servari formam, modumque justitiæ commutativæ, quod non staret si haberet justitiam distributivam, eamque servaret, modus enim commutativæ non compatitur cum modo distributivæ, cum sint oppositi inter se; quod si sentiret D. Thomas in Deo esse justitiam distributivam pro-

THEOLOGIA III.

priam, melius argumento respondisset in eo non inveniri justum simpliciter, hoc est universaliter, quia solum invenitur tale justum, id est, distributivum, vel si etiam inveniretur commutativum, debebat concedere quod est ibi justum simpliciter, quod negat. Quia vero in hac quæstione XXI, a. I, expresse videtur D. Thomas concedere in Deo justitiam distributivam, dicit Vasquez, quod D. Thomas non ita clare loquitur, docens solum eam justitiam distributivam esse in Deo, qua gubernator alicujus reipublicæ vel dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem, ita quod sicut ordo alicujus multitudinis gubernatæ, monstrat in illa esse justitiam, ita ordo universi gubernati a Deo monstrat Dei justitiam. Solum ergo videtur concedere Deo justitiam quamdam gubernativam, quæ habet quamdam similitudinem distributivæ, non autem justitia distributiva est.

VII. Cæterum Vasquez minus accurate ponderavit locum istum D. Thomæ in quo adeo expresse ponit in Deo justitiam distributivam, quæ est species justitiæ specialis, ut non nisi in consequentem modum loquendi in D. Thoma ponendo, negari possit. In aliis autem locis citatis ex prima secundæ et ex secunda secundæ nullo modo justitiam distributivam in Deo negat; et ita cum eam hic concesserit, et in aliis locis ex sententiariis, et I contra gentiles non est cur retractationem istam D. Thomæ tribuamus. Igitur in hac quæstione XXI, art. I, incipit D. Thomas respondere difficultati sic: « Respondeo dicendum, quod duplex est species justitiæ, una quæ consistit in mutua datione et acceptione, etc. » Ubi aperte loquitur de specie justitiæ specialis, quia ponit hanc speciem esse commutativam justitiam quam Deo negat, hæc au-